

## NE SANCTUM BAPTISMA ITERETUR.

### 1.6.1

*Impp. Valens Gratianus et Valentinianus AA. ad Floriarum vicarium Asiae.*

Antistitem, qui sanctitatem baptismatis illicita usurpatione geminaverit, sacerdotio indignum esse censemus, eorum enim condemnamus errorem, qui apostolorum praecepta calcantes Christiani nominis sacramenta sortitos alio rursus baptimate non purificant, sed incestant, lavacri nomine polluentes.

*D. XVI k. Nov. Constantinopoli Gratiano A. IIII et Merobaude cons. [a. 377]*

### 1.6.2

*Impp. Honorius et Theodosius AA. Anthemio pp.*

Si quis rebaptizare quempiam de mysteriis catholicae sectae fuerit detectus, una cum eo qui piaculare crimen commisit (si tamen criminis per aetatem capax sit, cui persuasum sit) ultimo supplicio percellatur.

*D. XII k. April. Constantinopoli Lucio cons. [a. 413]*

### 1.6.3

*Impp. Theodosius et Valentinianus AA. Florentio pp.*

Nulli haereticorum danda est licentia vel ingenuos vel servos proprios, qui orthodoxorum sunt initiati mysteriis, ad suum rursus baptismata deducendi, nec vero illos, quos emerint vel qualitercumque habuerint necdum suae superstitioni coniunctos, prohibendi catholicae sequi religionem ecclesiae.  
1 ¶ Quod qui fecerit vel, cum sit ingenuus, in se fieri passus sit vel factum non detulerit, exilio ac decem librarum auri multa damnabitur: testamenti et donationis facienda utriusque deneganda licentia.

2 ¶ Quae omnia ita custodiri decernimus, ut nulli iudicium liceat delatum ad se crimen minori aut nulli coercioni mandare, nisi ipse id pati velit, quod aliis dissimulando concesserit.

*D. III k. Iun. Constantinopoli Felice et Tauro cons. [a. 428]*